



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv  
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim  
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici  
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiae, 1622**

Sect. 9. An non visum, vel non scitum sit conditio necessaria ad obiectum  
formale fidei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

SECTIO IX.

*Verum esse non visum, vel scitum sit conditio necessaria, sine qua obiectum formale fidei subsistere non possit?*

**H**æc quæstio pertinet ad secundum se sensum supra propositum, sect. præcedenti num. 16. & coincidet cum vulgari quæstione. An scientia, & fides, seu visio, & fides possint esse simul: nã si repugnant, ideo est, quia visio, vel scientia obiecti, etiam si sit per aliud medium, non admittit secundum obiectum formale fidei, & consequenter quod obiectum sit non visum quocunque medio, erit conditio necessaria ex parte subiecti, vt moveri possit ab obiecto formali fidei: si vero ipsæ conditiones inter se non repugnant, neque obiecta repugnabunt, neque erit illa necessitas talis conditionis.

1. Est ergo prima sententia, quæ absolute requirit hanc conditionem ad fidem, & simpliciter negat fidem posse esse simul cum cognitione euidente, siue illa intuitiua sit, siue abstractiua, siue à priori, siue à posteriori, siue supernaturalis, siue naturalis. Hæc videtur esse sententia D. Thom. in hac quæstione 1. art. 4. & 5. & ita illam defendunt Caiet. & Bann. ibi, & Cano lib. 2. de Locis. c. 12. & Capreol. in 3. dist. 25. art. 1. & 2. ibi Hispan. art. 3. notab. 3. & 4. Idem sentit Richard. dist. 2. 4. quæst. 4. & 5. Scot. q. 1. Gabriel art. 2. concl. 4. Molina. 1. parte quæst. 1. art. 2. disp. 4. 5. Hæc autem. Cum ibi quæst. 2. art. 1. Probatur primo ex illa definitione Pauli, *Fides est argumentum non apparentium*: nam paulo ante exposuimus esse non apparentium, per quancunque euidentiam. Dicitur fortasse illam particulam intelligendam esse formaliter, seu respectiue, id est, non apparentium per ipsam fidem, nec per media eius: nam hoc pertinet per se ad fidem: quod autem per aliam viam subiecto appareant, vel non appareant res creditæ, accidentarium est, & ita non pertinet ad definitionem fidei. Contra hoc vero est, quia Paul. simpliciter, & sine limitatione dicit, *Argumentum non apparentium*: negatio autem omnia destruit: non ergo potest à nobis limitari vt intelligatur de non apparentibus per fidem, sed absolute de non apparentibus ipsi credenti quocunque modo. Eo vel maxime, quod Patres ita videntur illum locum interpretari, & ideo ex illo colligunt non posse fidem esse de eadem re de qua est visio.

2. Vnde argumentantur secundo ex Patribus. nam D. Greg. hom. 26. in Euangel. dubitat quomodo Christus dixerit, *Quia vidistis me Thomas credidistis*, cum fides sit de non apparentibus. Respondet, quia Thomas vnum vidit & aliud credidit: nam vidit hominem, & credidit Deum. significans eandem rem, quæ videtur, non posse esse creditam secundum idem, alioqui potuisset respondere quod licet Thomas videret Christum oculis corporeis, poterat eundem credere per fidem, per quam illum non videbat. Idem argumentum sumitur ex D. Augustin. tract. 79. in Ioan. ubi eodem modo expedit illam difficultatem, & addit laudem fidei esse, quia quod creditur non videtur: vnde in tract. 40. inquit, *quid est fides? credere quod non vides*, & epist. 112. cap. 2. ait, *creduntur absentia*, &c. Idem lib. 11. de Ciuit. c. 2. & apud Prosper. l. Sentent. Augustini. sentet. 350. & idem sentit Hilarius lib. 7. de Trinit. tract. 8. augitara verba Christi, & Athanas. li. de Salutari Christi aduentu: Non (inquit) fides de re euidenter confirmari experientia, nemo enim videtur posse credere, vel propter auctoritatē assentiri his rebus, quas ante oculos habet. Vnde sumi potest ratio, quia euidentia, vel visio rei, quocunque medio habeatur, redit in pacem intellectum, vt possit moueri ab extrinseco testimonio: vnde fit, vt conditio non visi, sit necessaria ex parte obiecti fidei, vt possit materiale

obiectum quasi informari à formali, vt sit aptum ad mouendum intellectum. Et hæc accedunt rationes supra tactæ, quod videns, & euidens inter se repugnant, & motio libera, & necessaria respectu eiusdem obiecti: ac denique quod hac ratione sentiunt Philo- sophi opinionem, & scientiam de eadem re non posse esse simul.

3. In hac vero opinione, & quæstione continetur multa, quæ oportet distinguere, & sigillatim definire: Possumus enim loqui aut de visione intuitiua, aut de euidente cognitione abstractiua, & hæc haberi potest, vel per scientiam infusam, & supernaturalem, vel per naturalem scientiam, & ab hac vltima tanquam à notiori, & magis necessaria incipiamus. Deinde in hac ipsa possumus considerare aut habitum, aut actum, & ita comparare possumus, vel habitus fidei, & scientiæ inter se respectu eiusdem veritatis, vel actus inter se, vel actum cum habitu.

*Resolutur quæstio quando ex altera parte, vel ex utraque venit habitus in comparationem.*

4. Dico ergo primo: *Habitus fidei simul esse potest cum actu scientiæ respectu eiusdem veritatis*. In hac assertionem conueniunt omnes Doctores statim citandi, & sine dubio D. Th. non contradicit, quidquid Capreol. sentit, qui dixit fidelem Christianum, eo ipso quod acquirit demonstrationem, & habet assensum scientificos harum veritatum, *Deus est, est vnus, Creator*, & similia, amittere fidem etiam habitualem circa easdem veritates. Sed in hoc sine dubio vehementer fallitur: primo, quia videtur plane esse contra ipsam experientiam, quia fidelis f. & us doctior circa has veritates per scientiam, non minus firmiter illas credit, quam antea, sed eodē modo proficitur symbolum, in quo etiam illæ continentur, & eodem affectu firmante intellectu, quo antea. Neque est verisimile, fidelē propter acquiritam scientiā factum esse peioris conditionis in spiritualibus donis, & maxime in fide, quæ est aliorum fundamentum. Secundo videtur impossibilis illa scientia, quia iuxta doctrinam D. Thomæ, & veram, habitus infusi non remittuntur, nec diminuantur, sed vel amittuntur omnino, vel integri conseruantur, aut augentur vt lib. 1. de Grat. cap. vlt. ostensum est. Sed dico non potest fidelem doctum amittere in eo casu totum habitum fidei, vt est per se notum: ergo retinet illum tam perfectum sicut antea: ergo sicut prius de se inclinabat ad assensum illarum veritatum, ita etiam postea inclinatur: ergo retinet ille homo habitum fidei talium veritatum, non obstante actu scientiæ circa illam. Ex quo manet probata conclusio, nam in illo homine simul sunt habitus fidei, & actus scientiæ circa easdem propositiones. Ratio denique clara est, quia actus non opponitur formaliter habitui, sed actui. Item quia habitus fidei, si actu non operatur, non inducit actualem obscuritatem, vt sic dicam, in intellectu, ergo non potest impedire formaliter actum scientiæ.

5. Secundo dicendum est, actum fidei posse simul esse cum habitu scientiæ. Hoc ad minimum docent omnes, qui affirmant fidem, & naturalem scientiā posse esse simul: quod tenet Alex. Alenf. 3. p. q. 68. memb. 7. art. 2. & 3. alias q. 79. memb. 3. Altfiodor. li. 3. Summæ tract. 3. cap. 1. quæst. 3. Alb. Magn. in 3. dist. 2. 4. art. 9. Gabr. art. 2. conclus. 3. & 2. Bonauentura ar. 2. quæstio. 3. Henric. Quodlib. 8. q. 14. Quodlib. 12. quæst. 2. Durand. quæst. 1. & 2. Prolog. Argenti. q. 3. art. 2. Aragon. hic art. 5. Valentia tom. 3. q. 2. pun. 4. Salmeron. ad Hebræ. disp. 21. & probatur ex illo Paul. ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est*: demus ergo Philoſophum habentem euidentiam de existentia Dei accedere ad Deum vt iustificetur: ergo necesse est, vt ille etiam credat Deum esse, credendo autem non amittit habitum scientiæ.

Notationes pro resolutione quæst.

Assensio.

Capreol. cō- trarium sentit, & tribuit D. Thom. fallit tamē p̄mo

Secundo.

Ex nūc dī- ctis contra Capreol. probatur assensio. Accedit ratio directæ probans.

Assensio.

Probatur ex Hebræ.

Caietani ex-  
positio re-  
pugnans  
textui.

Caietani  
placitum.

Relicitur ta-  
men tum  
quoad ipsam  
sententiam.

Tum quoad  
expositionem  
loci Pauli.

Vergo respo-  
sio respicitur.

Probatum  
deinde asser-  
tio rationi-  
bus.

scientia, ut potest esse evidens experientia, & ratio-  
ne, quia actus infusus non habet oppositionem cum  
habitu acquisito, sed clausa ratione culpæ, quæ est op-  
positio moralis. Propter hoc Caiet. ad locum Pauli  
exponit illud credere de quocunque assensu certo, &  
ita existimat necessarium non esse, ut Philosophus  
factus Christianus fide infusa credat Deum esse. Sed  
hoc reprobaui in superioribus, quia manifeste est  
contra contextum Pauli, quando enim dixit: *Sine fi-  
de impossibile est placere Deo*, sine vlla dubitatione de fi-  
de infusa loquebatur, & tamen in probatione sub-  
iungit: *Nam accedentem ad Deum oportet credere, quia est*  
ergo loquitur de credulitate fidei infusæ & ita com-  
muniter exponunt Patres: imo etiam Conc. Trid.  
Sess. 6. cap. 6. Et ideo Cano lib. 2. de Locis cap. 4. re-  
probata expositione Caietani, respondet ipse distin-  
guendo de Deo, ut principio, & sine naturæ: vel ut  
sine supernaturali, dicitur non oportere ut ille Phi-  
losophus per fidem infusam credat Deum ut finem  
naturæ esse, sed tantum ut finem gratiæ, & in hoc  
sensu locutum esse Paulum. Existimo tamen quod  
etiam bene expendit Molina i. par. disp. 1. & senten-  
tiam esse falsam, & expositionem: primum patet,  
cum quia Philosophus ille non minori certitudine  
credit Deum esse, quam reliqui Christiani: tum etiam  
quia Deus ut finis naturæ supponitur, & (ut sic  
dicam) est quasi fundamentum alterius habitudi-  
nis supernaturalis: ergo impossibile videtur maiori  
certitudine credere supernaturalia de Deo, quam  
naturalia, ut v. g. certius credere Deum esse Trinum,  
quam Deum esse, cum hoc posterius in illo priori ne-  
cessario includatur. Tum denique quia supra dixi  
hoc principium, *Deum esse veracem*, ut cognitum per  
solam evidentiam naturalem, non sufficere ad fun-  
dandam fidem, & certitudinem eius in alijs, quæ  
creduntur: ponamus ergo Philosophum illum non  
tantum evidenter cognoscere Deum esse, sed etiam  
veracem esse, & habitum retinere utriusque verita-  
tis: tunc ergo ut ille incipiat credere oportet ut per  
fidem infusam credat Deum non posse fallere, &  
nihilominus retinet integrum habitum scientiæ:  
ergo de eadem veritate naturali circa Deum stat  
actus fidei cum habitu scientiæ. Aliud vero mēbrum  
de mente Pauli constat: primo ex absolutis verbis e-  
ius: nam *Deum esse*, non significat simpliciter super-  
naturaliter esse, aut Deum habere aliqua superna-  
turalia attributa, sed simpliciter, substantiam Dei  
existere: & ita intelligunt ibi communiter Patres  
Chrysostom. hom. 25. Theodor. & alij Græci. & A-  
thanas. lib. de Spirit. Sanct. ad Serapionem: & dein-  
de secundo, quia quod oporteat aliquid supernatu-  
rale credere, magis explicuit Paul. addens, & *inqui-  
rentibus se remunerat* sit nam hæc remuneratio su-  
pernaturalis est, & de illa loquitur sæpe in illo capite  
cum dixit Patres antiquos per fidem *aspexisse in remun-  
erationem*, & ita etiam intelligunt ibi Anselm. & D.  
Thom. Aliter ergo respondet Vega lib. 6. in Triden-  
cap. 21. in Christiano Philosopho esse fidem illius ver-  
itatis, non quoad actum intellectus, sed quoad præ-  
parationem animi & piam affectionem voluntatis,  
cui certe non parum fauet D. Thomas 2. 2. quæst. 2.  
articul. 10. ad 1. sed sine dubio non satisfait, quia  
Paul. loquitur de necessitate fidei quoad intellectum,  
& hanc necessitatem imprimis ponit in illo actu, &  
obiecto, & ita expresse declaravit Conc. Trident. si-  
pra. Deinde rationes factæ aperte probant neces-  
sitatem in ipsa certitudine intellectus circa has veri-  
tates naturales Dei, quia debet esse maior, quam na-  
turalis, ac subinde ex fide infusa: ergo illa pia affe-  
ctio, ut efficax sit, oportet ut moueat intellectum ad  
firmius assentiendum, & re vera hoc est credere,  
prout loquitur Paul. Ratio denique assertionis est  
supra tacta, quia habitus acquisitus non opponitur  
formaliter actui infuso. Item, quia si habitus scienti-  
æ actu non operatur, non facit rem præsentem,

aut visam: ergo non habet unde impediatur verum  
actum fidei: nam re vera, quoad actuale operatio-  
nem perinde se habet habens habitum, & actu non  
utens illo, ac si illum non haberet, & huic assertioni  
non contradicunt, ut existimo, Auctores primæ  
opinionis.

6. Dico tertio: Habitus scientiæ, & fidei recte pos-  
sunt esse simul. In hoc etiam conveniunt omnes, &  
sequitur plane ex dictis, & ideo in hoc non immo-  
ror. Difficultas ergo tota est, an possint isti habitus  
operari simul? circa quam est advertendum non dis-  
putari generalem quæstionem, An intellectus possit  
simul plura cogitare? nam hoc nihil pertinet ad ex-  
plicandam propriam rationem obiecti fidei. Sup-  
ponimus ergo hominem actu considerare medium  
demonstrativum, quod Deus sit vlt. v. g. & simul  
recordari Deum hoc revelasse, & tunc inquirimus,  
An possit intellectus per illa duo media simul habe-  
re assensum evidentem, & assensum fidei.

Resolvitur quæstio quando utrinque veniunt  
actus solum, in compara-  
tionem.

7. Hoc ergo supposito, dico quarto assensum fidei  
simul esse posse cum assensu naturaliter evidente, &  
consequenter non esse de ratione formali obiecti fi-  
dei, ut actu non sit evidens per quodcunque aliud  
medium. Hanc assertionem tenent fere Auctores,  
quos reruli in secunda. Et probatur breuiter, quia in  
dicto casu, actu concurrunt duo media, seu motiva  
sufficiens ad assentiendum veritati propositæ, sci-  
licet, demonstratio, & auctoritas diuina: ergo utru-  
que actu operatur, vel potius intellectus actu op-  
eratur propter utrumque, sed illa motiva sunt diuer-  
sarum rationum, & non subordinata inter se, sed  
vnumquodque per se est sufficiens ad efficiendum  
suam speciem actus: ergo tunc simul efficiunt duos  
actus specie distinctos, qui non possunt esse nisi fi-  
dei, & scientiæ. In hac vero ratione dissolvenda la-  
borant maxime, & inter se dissentiunt Auctores, qui  
hanc assertionem non admittunt, quorum senten-  
tias sigillatim expendere necesse est, quia ex illarum  
impugnatione maxime pendet probatio assertionis  
positæ.

8. Primo ergo aliqui negant primam consequen-  
tiam, dicuntque in eo casu etiam si quis actu con-  
sideret veritatem demonstratam esse revelatam a  
Deo, habere tantum actum scientiæ, & fidem; vel  
auctoritatem diuinam nihil tunc operari. Ita sen-  
tiunt Scot. & Gabr. ubi supra, & late Gregor. q. 2.  
Prolog. art. 2. & Heru. Quodlib. 2. art. 15. q. 3. Ratio-  
nem autem, cur potius tunc scientia quam fides o-  
peretur, duplicem reddere possunt: vna est, quia de-  
monstratio naturaliter operatur, & ideo præuenit  
fidem, quæ non cogit intellectum, sed voluntaria  
est, voluntas autem impedire non potest actionem  
necessariam evidentis medijs. Altera est, quia aucto-  
ritas diuina non destruit obiectum formale scientiæ,  
demonstratio autem destruit obiectum formale fi-  
dei, quia tollit inevidentiam ab obiecto seu verita-  
te demonstrata, quæ inevidentia necessaria est in  
obiecto fidei, saltem ex parte subiecti. Hanc vero re-  
sponstionem, seu sententiam non admittit Capreol.  
& multi alij statim citandi: & re vera est incredibilis,  
quia ille fidelis tunc firmius assentitur veritati, quæ  
si fidem non adhiberet auctoritati diuinæ: ergo illa  
maior firmitas ex influxu fidei nascitur: ergo tunc  
actu operatur non tantum scientia, sed etiam fides.  
Antecedens patet: tum experimento: tum etiam,  
quia hoc pendet ex voluntate: quæ non obstante  
certitudine scientiæ, potest intellectum mouere ad  
firmius adherendum eidem veritati, propter au-  
thoritatem diuinam. Potest etiam hoc declarari ex  
emplo

Tertia  
Assertio  
communis.

4. Assertio.  
Actus fidei  
statè potest  
cum actu  
naturaliter  
evidente  
de eodem  
obiecto.  
Probatum ef-  
ficaci argu-  
mento.

Quid primo  
loco respon-  
dent ad fu-  
perius arg.  
Scotus Gabr.  
& alii.

Eorum ra-  
tio vna.

Ratio altera

Reliciunt  
tamen tum  
ab experien-  
tia, tum à li-  
bertate vo-  
luntatis.

Et tandem  
exemplo An-  
gelorum.

emplo Angelorum, in quibus negari non potest, quin simul habere poterint considerationem actualem virtutis; medij, quia semper habent actualem scientiam de Deo, imo iuxta valde probabilem opinionem tanta necessitate naturali illam habent, ut non possint suspēdere illam actualem cognitionem Dei, quemadmodum in 2. lib. de Angelis cap. 19. tractatū est: & hoc non obstante, possunt recipere fidem, & revelationem eiusdem Dei, non tantum quoad supernaturalia, sed etiam quoad ea, quae de Deo naturaliter cognoscere possunt: nam rationes supra factae de hominibus, & quae de Angelis probant, quia ad certitudinem propriam fidei, necessaria est certitudo eiusdem rationis de his veritatibus naturalibus Dei, quae sunt quasi fundamenta aliarum: ideo enim dixit Aug. 4. de ciuit. c. 20. primū; & maximum officium fidei esse, ut in vnum credatur Deum, & similiter dixit Cyrill. Catech. 8. necessarium esse credere eternitatem, & immutabilitatem Dei, & idem sumitur ex Cyp. in Expōit. Symboli, & D. Th. in 2. 2. q. 1. art. 4. & 1. p. q. 1. Expe dixit revelationem harum veritatum fuisse necessariam propter maiorem, & excellentiorem certitudinem: hac ergo necessitas etiam in angelis fuit: ergo in illis simul cum naturalibus, & actuāli scientia, erat certitudo fidei: ergo erat actualis operatio virtutis: ergo ex parte obiectorum hoc non repugnat: ergo nec in homine repugnabit, si in eo supponatur actualis consideratio virtutisq; medij, quam dicti Auctores, & omnes admittunt. Et ita nihil valet prima ratio huius sententiae, quia licet demonstratio naturaliter operetur, non impedit voluntatem, quominus applicare possit etiam intellectum, propter auctoritatem diuinā: in secunda autem ratione supponitur quod probandum erat: nam hoc est, quod contendimus, scilicet in euidentiam proprii medij, esse de ratione formali obiecti fidei, ex parte autem subiecti, non esse simpliciter necessariam omnem in euidentiam per quodcūq; aliud medium.

Ad 1. rationē  
forti & ex-  
tremā,

Ad secundā

Quid secun-  
do loco re-  
sponderē  
contra pos-  
sibilem  
argum.

Impugnatur  
ex cogitata  
reponit.

Præstat  
quod citat  
Consimiliter,  
1. post c. 1. q.  
4. art. 4.

Quid tertio  
loco respon-  
deat.

Refellitur.

9. Ex quibus à fortiori excluditur secunda respon-  
sio, quae à nemine datur: posset autem excogitari,  
sicut tunc operari solam fidem, non autem scientiam,  
quia licet fides non necessitet, est nihilominus po-  
tentior, & efficacior si voluntas non resistat. Hoc ta-  
men facilius impugnatur, tum exemplis, & rationi-  
bus factis: tum etiam, quia licet in potestate volun-  
tatis sit auertere actualem cogitationem demonstra-  
tionis, si tamen in illa persistat, non potest facere ut  
intellectus retineat assensum iuxta communem sen-  
tentiam Philosophorum: multo ergo facilius po-  
test voluntas facere, ut non obstante actuali consi-  
deratione virtutisq; motui, intellectus habeat solum  
assensum scientiae sine certitudine fidei, quam ut ha-  
beat certitudinem fidei sine euidentia scientiae.

10. Est ergo tertia responsio, siue sententia docens,  
tunc intellectum actu operari ex veroq; motiuo, non  
tamen efficere duos actus, sed vnum habentem eu-  
identiam scientiae, & certitudinem fidei. Et in hoc  
etiam est varietas: nam Capreol. dicta dist. 25. ad ar-  
gumēta Dur. significat illum actum quoad substan-  
tiam, & speciem essentialē, esse actum scientiae eius-  
dem speciei cum simili actu philosophi non habentis  
fidem, illi vero adiungit modum accidentalem,  
qui est certitudo fidei. Hac verò sententia iuxta ve-  
ra principia Philosophiae, & Theologiae sustineri non  
potest, quia ille modus non potest esse gradus inten-  
sionis: quia intensio est semper intra eandem speciem  
qualitatis, seu actus, & sub eodem motiuo: nam si  
motiuum multiplicetur, iam non est intensio, sed extē-  
sio. In actibus autem internis nullus est modus in-  
trinsecus accidentaliter inherens actui prae ter intē-  
sionem, ut ex Metaphysica suppono, & specialiter in  
materia de Grat. lib. 2. cap. 7. & 8. ostendi has perfe-  
ctiones supernaturales internorum actuum, non esse  
modificationes accidentales; sed specificationes

essentiales, & substantiales: & hoc magis confirma-  
bitur impugnando sequentem dicendi modum.

11. Quartus modus explicandi hunc actum esse  
potest, ut sit vnus quoad realitatem, duplex quoad  
formalitatem, ita ut habeat duas rationes formales  
ex natura rei distinctas, vnam scientiae, & aliam fidei;  
non tamen constituentes duas res, sed vnam. Hunc  
dicendi modum indicat Hispal. dicta d. 25. art. 4. ad  
argumenta quamuis non clare, nec constanter lo-  
quatur. Mihi tamen omnino displicet: & primo ar-  
gumētor in hunc modum: quia vel illae duae for-  
malitates sunt essentiales illi entitati, vel ambae acci-  
dentales: vel vna essentialis, & altera accidentalis:  
nihil istorum dici potest cum probabilitate: ergo.  
Probatur prima pars minoris, quod non possint am-  
bae rationes esse essentiales eidem actui: quia vna res  
vnam tantum potest habere speciem essentialē, ut  
ex Metaphysica constat. Item, quia vnum genus non  
potest immediare, & aequae primo contrahi per duas  
differentias specificas diuersas, constituendo cum illis  
vnam tantum entitatem: ergo nec potest aequae primo  
vnus actus constitui in duabus speciebus: ergo nec duae  
formalitates specie diuersae possunt esse essentiales  
entitati eiusdem actus. Secunda vero pars, quod non pos-  
sint ambae esse accidentales probatur, quia tunc ne-  
cessario deberet supponere in illo actu aliam tertiam  
formalitatem essentialē illi, quia nulla potest esse  
entitas in rerum natura, quae non habeat aliquā cer-  
tam, & immutabilem essentialē, & secundum illam,  
propriū genus, & differentiam constitutivā vnam  
rationem formalem tali rei essentialē: sed in huius-  
modi actu nec cogitari potest, aut fingi tertia ratio, quae  
essentialis illi sit, quia ibi tantum sunt duo motiua as-  
sentendi, quae dare possunt formalitatem actui: nā  
ex solo obiecto materiali, nulla species sumitur, ut  
nunc tanq̃ certum suppono. Tertia pars eiusdem mi-  
noris probatur. 1. quia non est maior ratio de vna, q̃  
de altera: quod argumentum etiam procedit contra  
Capr. quia hoc 3. membrum fere coincidit cum opi-  
nionē illius, nam si aliqua ex illis rationib. acciden-  
talis esset, esset modus, non substantia actus. Vnde vi-  
tetur probatur, de neutra illarum rationū hoc dici  
posse, quia formalitas fidei, cum sit supernaturalis, co-  
stituit substantiam actus, formalitas autē scientiae, cum  
sit magis necessaria, & quasi fundamentalis in illo a-  
ctu, non potest esse formalitas, vel modus accidentalis.

Quid quarto  
loco respon-  
deat Hispal.

Impugnatur  
Hispal. 1.

Disp. 1. r. sed.  
in num. 13.

Excluditur  
etiam obiect  
Capreol.

Impugnatur  
2. Hispal.

12. Secundo principaliter argumētor contra hanc  
sententiam, quia vel illae duae formalitates constitu-  
unt veram rationem scientiae, & veram rationem  
fidei in illo actu, ita ut actus ille prout est euidentis,  
sit eiusdem speciei cum actu scientifico eiusdem ob-  
iecti, quem habet Philosophus infidelis, & quatenus  
est certus certitudine fidei, sit eiusdem speciei cum  
actu fidei eiusdem veritatis, quem habet fidelis idio-  
ta: vel illae formalitates sunt aliarum rationum: neu-  
trum dici potest: ergo. Minor quoad primam partē  
probatur, quia illae duae species fidei, & scientiae ex se,  
& ex natura sua sunt distinctae realiter, & constituunt  
propriās entitates, ut per se constat, & patet in exem-  
plis adductis. Quod autem simul concurrat in eo-  
dem tempore, & subiecto, non satis est, ut confun-  
dantur, & coalescant in eandem entitatem, ut patet  
inductiue in omnibus similib. qualitatibus, ut sunt  
v. g. albedo, & dulcedo: & in actibus animae, amor  
amicitiae, & concupiscentiae Dei, licet ab aliquo si-  
mul habeantur, non propterea sunt vnus actus. Imo  
plane videtur impossibile, quia illae differentiae sem-  
per retinent eandem repugnantiam, & qualibet  
illarum est constitutiva propriae entitatis. Secunda  
autē pars minoris à nemine asseritur, saltem quoad  
alterum membrum de scientia: nam, cum ille actus  
sit euidentis, & certus, oēs fatentur esse veracem sci-  
entiam. De ratione autem fidei, Hispal. supra, negat  
illam in tali actu, quia licet sit certior ex auctoritate  
diuina, nihilominus formalitas illa non est fides, quia  
est de

SVART  
D. 1. 1. 2.

D. 1. 1.

est de obiecto alias euidente. Sed in hac ratione petit principium, & id, quod dicit, intelligi non potest, quia ille actus fundatur in auctoritate diuina testificante non clare, sed obscure, & ideo licet, vt sic, sit certus, non est necessarius, sed liber: ergo vt sic, est ineuidens, & fundatur in toto obiecto formali fidei: ergo illa formalitas non potest esse nisi fidei. Denique si non est fides, nec scientia, explicari non potest quid sit, neque etiam potest intelligi quod illa formalitas abstrahat ab euidente, & ineuidente, vt ille loquitur, quia illa membra sunt immediate opposita, & considerantur in ordine ad actum prout est in rerum natura, & non secundum aliquam mentis abstractionem.

Concinitur  
Auctoritas tra-  
ctat. de boni-  
tate & mali-  
tia disp. 4.  
sect. 2. a nu. 2.

Quid tadem  
s. loco re-  
spondeat Mo-  
lina, & alii ad  
dictum argu-  
mentum in nu. 7.

Refellitur  
hæc respon-  
sio primo à  
priori.

13. Est ergo vltimus modus dicendi actum illum habere veram rationem specificam simplicem, & substantialem distinctam ab specificis rationibus scientiæ, & fidei, eminenter vtrunque continentem, quia sumit illam ex duplici motiuo fidei, & scientiæ, vt constitutent vnum totale, & adæquatum motiuum, quæ opinio potest tribui Durando, & alijs Auctoribus supra citatis, quatenus simpliciter, & sine alia declaratione dicunt, illum esse vnum actum, & magis hoc declarant Molina. 1. p. q. 1. art. 1. disput. 1. Fons. 6. Metaph. ca. 1. q. 1. sect. 5. lit. F. Et multis modernis Theologis placet hic modus, & non habent aliud fundamentum, nisi vt eurent proprium assensum Fidei circa obiectum actum demonstratum. Ego vero non minus dissentio huic modo, quam præcedentibus, quia nec probabilior, nec minus difficilis ad intelligendum mihi semper visus est, & nunc etiam plane videtur. Et primo argumentor à priori ex ratione facta, quia ibi occurrunt duo motiua natura sua formaliter diuersa, & sufficientia ad constituendas diuersas species actuum realiter distinctorum, quæ sunt medium demonstratiuum, & auctoritas dicentis, sed quod simul, & eodem tempore moueant eundem intellectum, non confundit rationes obiectiuas, nec facit illas coalescere in vnâ: ergo non confurgit ex illis vnus actus alterius ordinis, & speciei. Maior nota est cum consequentia, minor autem patet: tum quia ibi tantum inueniatur concomitantia temporis & subiecti, quæ non sufficit ad confusionem, vel vnionem illorum motiuorum in vnum: tum etiam, quia si quis attente consideret, vnum quodque illorum motiuorum concurrat, vt totale, & sine dependentia ab altero, quia ille fidelis doctus ita credit propter auctoritatem Dei, vt non minus certo crederet, si scientiam non haberet: & ita assentitur propter demonstrationem, vt non minus euidenter, & consequenter cum certitudine scientiæ, daret assensum, etiam si deesset auctoritas Dei testificantis: ergo signum est alia motiua concurrere, vt distincta, atque adeo sufficientia, vt per se, ac sigillatim producant diuersas species actuum realiter distinctorum. Et confirmari potest hæc ratio inductione tam in actibus intellectus, quam voluntatis: nam si quis actu consideret humana testimonia simul cum diuina Fidei nostræ, non elicit vnum assensum, qui eminenter sit fides humana, & diuina: & qui considerat duo media demonstratiua eiusdem veritatis, vnum physicum, & aliud Mathematicum, verbi gratia, concursus partium terræ, circa idem centrum & eclipticam lunæ in formam, & orundam, non efficit vnam conclusionem seu actum scientiæ (quod nimirum terra sit globosa) qui eminenter sit actus philosophiæ, & mathematicæ, sed potius duplicem, verumque in sua specie perfectum. Et qui considerat Deum esse summum bonum propter se amabile, & esse summum bonum proprium hominis, non elicit vnum amorem, qui eminenter sit amicitia, & concupiscentia, quæ omnia suppono tanquam nota, neque scio aliquem dixisse contrarium. Et ratio omnium est, quia illa motiua semper manent diuersa, & non componunt vnum. Et ex

eodem principio in 1. 2. q. 18. qui melius sentiunt, concludunt vnum actum internum, non posse simul esse ex duobus proximis motiuis virtutum specie diuersarum, sed solum quando motiua ita inter se sunt subordinata, vt vnum sit proximum, & aliud remotum, quod in præfati locum non habet.

Consultatur  
Auctor tract.  
1. disp. 1. sect.  
2. & forma-  
lius tract. 1.  
disp. 4. sect.  
tertia.

14. Secundo principaliter argumentor ex parte actus, & inquiri, an ille actus sit eminens, supernaturalis sit omnino, vel pure naturalis, vel mixtus; certe hoc vltimum cogitari non potest, quia ille actus simplicissimus est, & indiuisibilis, præsertim secundum differentiam vltimam; ergo non potest esse mixtus ex naturali, & supernaturali: ad alterum ergo ex his ordinibus pertinet secundum substantiam suam, de illa enim loquimur. Deinde non potest cogitari mere naturalis, quia est certus certitudine Fidei, & nititur in auctoritate diuina credita supernaturaliter, quæ est motiuum supernaturalis: vnde, quatenus talis est, non potest fieri sine auxilio gratiæ: nam est supernaturalis quædam dispositio, & quia illa certitudo superat vires naturales hominis, proscenditque à pia affectione voluntatis quæ supernaturalis est; erit ergo ille actus supernaturalis quoad substantiam, & ita fatentur Auctores illius scientiæ, qui melius sentiunt. Quod tamen non posset esse mere supernaturalis: Probatur, quia est actus euidentis, & illa euidentia naturalis tantum est, quia præfati oritur ex medio naturali, & naturaliter cognito: vnde necesse est, vt in illo actu sit etiam certitudo naturalis scientiæ, quia hæc necessario comitatur naturalem euidentiam, & ita erit in illo actu duplex proprietas naturalis, & vna supernaturalis, & omnes substantiales, quomodo ergo esse potest pure supernaturalis? Vnde etiam intelligitur, non posse subsistere, id quod præfati auctores asserunt de specie illius actus, nimirum quod sit vna, & superior, & eminenter continens duas inferiores: nam qualitas, quæ eiusmodi est, non habet formaliter proprietates inferiorum specierum, seu eiusdem rationis; at vero in illo actu formaliter est euidentia naturalis scientiæ, eiusdem speciei cum illa, & certitudo supernaturalis eiusdem speciei cum certitudine Fidei: ergo non est ibi eminentia, sed formalis continentia duarum specierum inferiorum. Ratio etiam hoc persuadet, quia ex duabus causis non potest oriri vnus effectus eminenter continens totam perfectionem vtriusque causæ, quia talis effectus excederet perfectionem intensiuam causæ, quod esse non potest, vt suppono. Et declarari potest naturali exemplo: nam si ex animalibus diuersarum, specierum generetur vnum tertie speciei, non potest hæc tertie species eminenter continere illas duas, quia esset perfectior vtrique; quia res simplex eminenter continens plures, & omnes perfectiones earum, necessario esse debet excellentior vtrique; hoc autem in illo exemplo nunquam inuenitur, vt experientia constat: & ratione, quia quando effectus est æquiuocus potius ipse debet eminenter contineri in causa, quam eminenter continere causam: sic ergo est in præfati: nam medium scientiæ, & auctoritas Dei sunt veluti duæ causæ, quæ coniunguntur ad illum effectum: ergo non possunt efficere vnum effectum eminenter continentem totam perfectionem fidei, & scientiæ quia talis effectus necessario esset excellentioris rationis, quam fides, & quam scientia, & quam ambæ simul, quia excellentior, & simplicior modo contineret totam illam perfectionem, & haberet, vt sic dicam, ipsam euidentiam supernaturalizantem, quod profecto intelligi non potest. Et confirmatur, quia similes discursus fieri potest de libertate, & necessitate illius actus; nam erit necessarius quatenus euidentis, & liber quatenus certior. Item erit discursiuus, id est, per se, & essentialiter prædicens ex discursu, quatenus est per demonstrationem: & simul erit actus simplex, & sine dependentia ab extraneo

Exemplum.

Confirmatio

traneo lumine, quatenus est assensus certus ex auctoritate diuina; hæc autem, & similia non eminenter, sed formaliter inueniuntur in illo actu, ut aperte constat. Sunt autem illæ proprietates inter se ad eo oppositæ, ut plane repugnare videatur, simul inesse eidem actui simplici, & indiuisibili; qualem dicunt auctores voluisse illum, de quo loquimur; ergo non datur talis actus.

Refellitur  
tertio ex parte  
habitus.

15. Tertia ratio ad idem confirmandum sumi potest ex parte habitus, siue ille consideretur ut principium, siue ut terminus, seu effectus illius actus. Et imprimis inquiri, à quo habitu eliciatur ille assensus? non enim potest esse à solo habitu Fidei, ut omnes pro comperto habent, quia fides sola non potest efficere actum euidentem, qualis supponitur ille actus; & proportionali ratione ostenditur non esse à solo habitu scientiæ, quia non potest ille habitus efficere tantam certitudinem quantum habet actus. Et ideo communis responsio est actum illum fieri ab utroque habitu simul, ut videtur licet in Molina supra.

Vigetur vlti-  
mus.

Contra hoc vero instari potest iuxta supra dicta, quia si verique habitus operatur, necesse est, ut uterque habeat ibi suum obiectum formale integrum, quia nullus habitus operari potest extra suum obiectum formale; ergo sicut sunt duo habitus, ita operantur propter duo obiecta formalia integra; ita ut neque vnus respiciat villo modo obiectum alterius, nec connexionem sui obiecti cum illo, neque de conuerso: ergo efficiens duos actus, & non vnum. Præterea est specialis obiectio ad hominem, de habitu fidei; quia vel est de ratione formali obiecti eius, aut saltem conditio omnino necessaria, ut per nullum medium proponatur actu euidentis: vel non. Hoc secundum negant Auctores illius scientiæ, quia si euidentia per aliud medium non est contra rationem formalem obiecti Fidei, non est cur repugnet simul esse actum Fidei cum actu euidente. Si autem euidentia destruit obiectum Fidei; ergo impossibile est Fidem influere in illum actum, qui versatur circa obiectum euidentis, quia non potest fides operari sine suo subiecto. Propter quam rationem aliqui Sectatores illius opinionis in hoc dissentient ab alijs, dicuntque illum actum fieri à solo habitu scientiæ, & nullo modo ab habitu fidei. Sed hoc planè incredibile est, quia multo magis improporionatus videtur esse habitus scientiæ, cum ille naturalis sit, actus vero supernaturalis: nam ad actum supernaturalem necessarium est principium proximum efficiens supernaturale.

Responsio  
pro Molina  
queritur.

Respondere possunt, illud principium esse auxilium speciale D. E. I.; sed contra, quia omnem actum perfectum, & humanum, quem DEVS facit per auxilium, potest facere per habitum, imo ut ab homine fiat connaturali modo, & à DEO provideatur suam modo necessarius est habitus: ergo assignandus est habitus infusus, à quo ille actus fieri possit præter scientiam: ille autem esse non potest nisi Fides. Et confirmatur hoc: nam omne auxilium gratiæ respondet, & proportionatur alicui virtuti infuse, vel habituali dono: ergo si ibi est necessarium auxilium, illi respondet aliquis habitus, qui non potest esse nisi Fides. Denique etiam ex parte scientiæ difficile intelligitur quomodo virtute naturali, & propter naturale motuum efficiat per se, etiam ut parziale principium, actum supernaturalem: quia non habet ad hoc vires proportionatas, nec potest facere in actu nisi euidentiam, & certitudinem naturalem. Tandem si consideretur habitus quatenus fieri potest per actus, vel effectus, vel dispositiue, necessarium erit, ut illi actui respondeat vnus habitus infusus simul euidentis, & certus, & inclinans ad actus illius speciei eminenter continentes duas illas rationes: consequens autem non admittitur etiam ab auctoribus illius opinionis, quia esset valde nouum, & extraordinarium, nullus

Suarez de Fide.

enim de tali habitu hætenus cogitavit, & ex illo multa absurda facile inferri possent. Sequela probatur, quia nulla maior repugnancia assignari potest in vnitatem illius habitus, quam in vnitatem actus, neque à prædictis auctoribus assignatur: & aliunde ibi procedit generale principium, quod omnis actus disponit potentiam de se indifferentem, vel insufficientem ad habitum, qui postea inclinatur ad similes actus: ergo idem de illo actu dicendum esset.

16. Concludo igitur ibi nullo modo fieri posse vnum actum, & consequenter fieri duos, quia sit actus euidentis, & naturalis: sit etiam actus supernaturalis certior, quam naturalis: ergo simul sunt duo actus. Deinde concludo illos esse scientiæ, & Fidei. Primum omnes ponunt: secundum probabo, quia ille supernaturalis actus est assensus propter veritatem primam reuelantem reuelatione credita, & non visa, neque euidenter cognita: ergo ille actus habet totum obiectum Fidei, & non solum certitudinem, sed etiam obscuritatem, quia reuelatio ipsa obscura est, & formale obiectum communicat, ut sic dicam, suas proprietates obiecto materiali. Et à signo confirmatur: nam ille actus est liber, & ex pia affectione voluntatis: ergo per illum captiuatur intellectus in obsequium Dei, & Fidei: est ergo actus Fidei.

Illatio 1. ex  
dictis.

Illatio 2.

17. Præterea concludo ex dictis, respondendo directe ad titulum questionis, non esse de necessitate obiecti fidei, ut sit omnino non euidentis concomitanter, sed solum formaliter, id est, per ipsum medium Fidei. Hoc patet ex dictis, quia Fidei actus esse potest cum actu naturaliter euidente de eodem obiecto: ergo illa euidentia non destruit obiectum formale Fidei, quia non est per medium eius, sed per aliud: nam si destrueret obiectum formale fidei, impossibilis esset actus fidei, qui non potest esse sine suo obiecto formali. Secundo ad hoc confirmandum valent rationes Durandi in tertia distinctione 24. quia formale obiectum Fidei est illud, quod facit rem esse formaliter credibilem, & mouet intellectum ad assensum, sed negatio illa actualis euidentis non facit rem credibilem, nec mouet ad assensum, & contraria euidentia non excludit diuinum testimonium obscurum, & ineuidentis, quod moueat ad credendum, ut constat ex dictis: nam Deus sua auctoritate confirmat plures veritates, quas naturalis euidentia ostendit: ergo illa carentia euidentis, non est de formali obiecto Fidei, nec contraria euidentia excludit huiusmodi obiectum formale. Tandem est optima ratio, quia, non obstante illa euidentia naturali, Fides altiori, & nobiliori modo firmat intellectum in assensu illius veritatis, ut fatentur etiam aduersarij, hic autem effectus non potest prouenire nisi ab aliquo motiuo formali assentiendi, quod sit supernaturalis: ergo non potest esse nisi motiuum formale Fidei, quia nullum aliud nobis est datum in hac vita, ad supernaturaliter assentiendum.

Illatio 3. per  
quæ ad prin-  
cipalem hu-  
ius sect. titu-  
lum facit.  
Et ostenditur  
1. ex dictis  
composibili-  
tatis actus e-  
uidentis, &  
ineuidentis.

Secundo ex  
alijs Durandi  
rationibus.

Tertio ex no-  
biliori firmi-  
tate fidei,  
quam scienti-  
æ.

Ad motiuum  
sententiæ,  
in num. 1.

Loc. Pauli  
expositio 1.

Expositio 2.  
facilis.

E

prout

prout in se sunt, neque per medium, quod præbeat summam certitudinem illarum, & ideo talis euidencia relinquit sufficientem non apparentiam, vt ibi etiam locum habeat fides certificando intellectum, vt sepe dixi: quæ certitudo necessario inuoluit obscuritatem, cum fundetur in testimonio non euidenter cognito, & ideo libera sit. Et hoc in re ipsa fatentur alij Auctores, dum concedunt ibi interuenire certitudinem fidei, & ita potius augent difficultatem, quam illam expediant, aut minuunt: nam in vno, & eodem actu admittunt certitudinem minorem, & maiorem, & consequenter coguntur admittere euidentiam cum obscuritate, necessitatem cum libertate in eodem actu simplici, in quo difficillime intelliguntur, in duobus autem sine vlla difficultate prout satis declaratum est. Ad Patres tandem numero secundo allatos, paulo infra indicatur responsio in nu. seq.

Assert. 4. de comparabilitate fidei cum scientia non procedit cum infusa abstracta de potentia ordinata.

19. Explicandum vero superest, an sit idem dicendum de euidentia supernaturali abstracta? In quo breuiter dico quoad habitum inter se, & quoad habitum comparatum ad actum, eandem esse rationem, quam amplius explicare non est necesse. In actibus vero est quedam differentia notanda, nam actus supernaturaliter euidentis, est etiam supernaturaliter certus, vnde ad minimum videtur esse æque certus, ac est actus fidei, & ideo euidentia supernaturalis, & actualis non videtur relinquere locum officio fidei, quia non potest magis firmare intellectum in assensu veritatis cognitæ, quam sit firmatus per fidem: & ideo ex hac parte videtur minus esse compatibles assensus fidei, & scientiæ infusæ, ac supernaturaliter euidentes, quam assensus fidei, & scientiæ naturalis de eadem veritate. Et ita mihi verisimile est ex natura rei, seu secundum ordinarium cursum, hos duos actus non esse simul, quia vel sunt superflui: & ideo verisimile est Deum non mouere simul ad verumque actum extraordinario modo: vel etiam ex naturali modo operandi hominis est aliqua repugnantia, quia si intellectus necessario est determinatus ad assensum euidentem, & certum per medium scientificum, per voluntatem non applicatur ad assentiendum per medium extrinsecum, & obscurum, quando nullam maiorem certitudinem inde acquirit, vt videtur in rebus humanis experientia notum: & ideo verisimilius est, illos actus regulariter non esse simul. Nihilominus tamen non censeo esse absolutam repugnantiam, neque in euidentiam contrariam huic euidentie, esse de obiecto formali, vel de absoluta necessitate fidei: quoad hoc enim procedunt rationes factæ in præcedenti puncto, & dicemus iterum in sequenti.

Bene tamen de potentia extraordinaria.

Nec rursus procedit de comparabilitate cum visione, de potentia ordinata.

Id ostenditur ex Paulo 1. Cor. 13.

Ex Patribus.

20. Secundo facile etiam ex dictis resoluitur eadem quæstio proposita de visione intuitiva Dei, an scilicet cum illa possit esse fides; Et quidem de actuali fide, Theologi omnes docent non esse simul cum illa visione, nec fuisse vnquam, nec futuram esse, atque adeo neque esse posse de lege ordinaria, seu attentæ naturæ talium actuum. Ita docent omnes Auctores statim citandi, & sumitur ex Paulo primo ad Corinth. decimo tertio dicente, *Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum*: & subdit, *Cum venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est*: & ideo opponit cognitionem æigmatiçam visioni faciali, *Videmus nunc per speculum in æigmatiçæ, tunc autem facie ad faciem*. Ad hoc etiam confirmandum valet aliud testimonium Pauli supra adductum in numero primo, quod *fides est non apparentium*, nam tunc maxime obiectum apparet, quando in se clare videtur, & hoc etiam confirmant: & ita sufficienter explicantur testimonia Patrum dicentium fidem esse de non visis, quæ in principio adduximus in numero secundo. Et videri etiam potest Augustinus libro decimo quarto de Trinitate capite secundo, & tertio. Rationem multisumunt

ex repugnantia, ex parte obiectorum, de qua dicam statim. Nunc ergo sufficit ratio proxime facta in præcedenti puncto, quæ his maiorem vim habet: tum quia visio intuitiva certior est ex suo genere quam abstracta: tum etiam quia illa visio est summe perfecta in ordine supernaturali, & ideo maxime necessitat intellectum ad summam certitudinem, ac proinde non relinquit locum certitudini liberæ, & ex motione voluntatis per motuum extrinsecum, & obscurum. Accedit quod etiam ratione status repugnat illi visioni imperfectio fidei, quia illa visio est essentialis beatitudinis perfecta constituens hominem in termino, fides autem de se constituit viatorem.

Et ratione.

21. Quaritur vero vltius, an de potentia absoluta repugnet cum visione simul esse fidem? Quod enim hoc implicet contradictionem, videtur sentire Diuus Thomas hic articulo quarto, & prima secundæ, quæstione 67. articulo tertio, vbi etiam Caietanus & alij, idem etiam Diuus Thomas quæstione decima quarta de Veritate, articulo nono, & quæstione vigesima septima, articulo quinto ad sextum, & tertio contra gentes. capit. 40. & in tertio distinctione vigesima quarta, quæstione prima, articulo primo, vbi Bonauentura articulo secundo quæstione prima, Richard. quæstione prima articulo tertio, & Argent. quæstione prima articulo tertio, Gabr. articulo primo, & ibi etiam Capreol. & Hispanens. quæstione vnicæ, & Heru. Quodlib. secundo, quæstione decima quinta, articulo tertio. Fundamentum est, quia visio destruit obiectum formale fidei, quia de ratione obiecti credibilis est, vt sit non visum: vnde D. Thom. hic articulo sexto ad secundum, dicit, visionem tollere imperfectionem substantialem fidei: vnde sicut repugnat potentiam, vel habitum tendere extra suum obiectum, vel sicut repugnat speciem bruti manere ablata irrationalitate, ita repugnat fidem esse cum visione. Et ad hoc confirmandum afferuntur testimonia, quæ in principio adduximus in numero primo, & secundo.

Imo putant multi quod nec de potentia extra ordinem procedat.

eorum fundamentum.

22. Ego vero non video hanc implicationem contradictionis: & imprimis de habitu fidei certum exillimo, non implicare contradictionem quod maneat in intellectu videns Deum, quia si actu non operatur, cessat omnis repugnantia, vt supra in simili declaratum est, & ita D. Thom. 2. 2. q. 175. ar. 3. ad 3. & quæst. 13. de Verit. art. 2. dicit in Paulo quando (secundum ipsum D. Thomam) raptus vidit diuinam essentiam permanisse habitum fidei: idem ergo facere Deus posset per totam æternitatem, quia nulla est maior repugnantia. De facto vero, probabilis est ibi non manere etiam habitum fidei, quia nunquam est operaturus, & non pertinet ad perfectionem simpliciter, ideoque supernacaneus est. Hinc vero vltius concluditur, non esse etiam formalem repugnantiam inter habitum fidei, & lumen gloriæ, quod etiam ostendit exemplum Pauli: & quia sicut habitus fidei non repugnat cum obiecto viso, ita etiam non repugnat cum obiecto visibili, vt sic dicam; per lumen autem gloriæ, præcise loquendo, ac formaliter, non sit obiectum actu visum, sed visibile ex parte potentie; ergo multo minus repugnat lumen quasi habituale cum habitu fidei, quam cum actuali visione. Quin potius si de potentia absoluta fieret, vt lumen gloriæ maneret in intellectu non vidente actu Deum, in illo esse posset non solus habitus, sed etiam actus fidei, quia solus habitus, vt supra dixi, nullo modo tollit aut impedit obiectum fidei, vel libertatem in assentiendo propter illud. Quia vero de facto, & ex natura rei, lumen gloriæ semper est in actu secundo visionis Dei, ideo eandem repugnantiam naturalem, vt sic dicam, habet cum actu fidei.

Verius tamē videtur oppositum.

23. Denique quod hæc repugnantia inter actus, non sit in ordine ad potentiam absolutam Dei, quinam ita sentiant.

hec per implicationem contradictionis sentit Alex. Alen. 3. p. n. 68. & tenet Durand. in 3. dist. 31. q. 4. vbi etiam Maior, & Bassolis, & Greg. in Prolog. sentent. q. 3. art. 2. Ratio vero est supra tacta, quia conditio non nisi, non aliter est de intrinseca ratione fidei, quā respectu sui obiecti formalis, de cuius ratione est, vt sit extrinsecum testimonium, non ostensum euidenter, neq. ostendens clare rem dictam: quod autem res sit testificata non sit aliter visa, non est de essentia fidei, quamuis pertineat ad connaturalem modum operandi eius; neq. aliud probatum est aliqua ratione efficaci, & ideo non est facile negandum diuinę potentię. Et declarat tandem exemplo: nam cognitio intuitiua & abstractiua, etiam videtur habere rationes valde oppositas, quales sunt absentia, & presentia obiecti, & nihilominus certum est, cognitionem intuitiuam, & abstractiuam eiusdem rei posse simul esse, imo etiam esse in beatis respectu eiusdem Dei per visionem beatam, & per scientiam infusam, vel naturalem. Et ratio est, quia absentia obiecti non est necessaria ad cognitionem abstractiuam respectu eiusdem intellectus quomodo cumq. cognoscens, sed solum respectu medij, per q. sic cognoscitur: fidem ergo facile intelligitur cum proportionem respectu assensus fidei; nulla ergo apparet in hoc absoluta repugnantia, quia illi sunt duo actus positivi, quos Deus potest causare in mente testificando illud ipsum, quod videtur, quia licet in hoc videatur esse superfluitas, ad ostensionem suę potentię, vel propter alias rationes, id facere potuisset.

24. Adhuc vero superest verbum vnum dicendum de visione sensitiua, & intuitiua, an possit esse simul cum actu fidei non solum de potentia absoluta (hoc enim a fortiori affirmandum est ex dictis) sed etiam de potentia ordinaria, & ex natura rei. Aliqui simpliciter negant, ita vt consequenter dicant Apostolum Thomam, cum dixit illi Christus; Quia vidisti me Thomas credidisti, non credidisse resurrectionem Christi, quia suis oculis videbat illum viuere, & manibus etiam tangebatur corpus viuificatum, & ita eius fidem referunt ad diuinitatem. Ita fere Tolet. Ioan. 20. Ego tamen sine dubio credo tam Thomam, quam Apostolos reliquos habuisse supernaturalem fidem de Christi resurrectione, & de veritate corporis, ac vitę eius: quod non obscure significauit D. Thom. 3. parte questione 55. art. 5. & 6. vbi id clarius in Commentario asseruit, & confirmaui, quia multo maiori certitudine credebant Apostoli Christum vere surrexisse, quam ex sola experientia sensuum acquirere possent. Deniq. quis negabit illos habuisse fidem infusam mysteriorum pertinentium ad CHRISTI humanitatem. Dico ergo in obiecto sensibilibiter viso duo esse distinguenda: vnum est species illa, quę extrinsecus apparet, & de hac certe non est fides, sed experientia, quia de sola illa extrema apparentia non fit reuelatio, neq. illa proponitur, vt credatur, sed vt ducat ad fidem. Aliud autem est veritas, & substantia eius rei, quę videtur, & de hac potest esse fides simul cum visione externa, & ita per fidem credidit Thomas esse ipsummet Christum, ac verum hominem, quem videbat, & tangebatur, & loquentem audiebat.

# SECTIO DECIMA.

Virum priuata reuelatio diuina pertineat ad obiectum formale fidei: & consequenter, an auctoritas Ecclesie pertineat ad hoc obiectum formale, & quomodo in illam resoluitur fides.

In primis cauendus est error quorundam hereticorum, quos etiam moderni heretici sequuntur, qui dixerunt, vnicam rationem & regulam credentium.

di in singulis fidelibus esse internam reuelationem, vel instinctum specialem, quem Deus vnicuique tribuit: est enim hac aperta hæresis, imo origo omnium hæresum, & schismatum, quia si verum esset, non posset esse vna fides, sed tot essent, quot sunt capita; sed contra hunc errorem dicturi sumus infra disput. 4. & 5. tractando de regulis, & propositione fidei: & ideo illo omisso duę opiniones Theologorum tractandę sunt.

1. Prima opinio est reuelationes priuatas non sufficere ad obiectum formale fidei. Ita sentit Caiet. hic q. 1. art. 1. & q. 5. ar. 3. & Bañez ibid. dub. 3. & Sor. lib. 3. de Nat. & Grat. cap. 11. atq. etiam Cano lib. 12. de Loc. cap. 3. & 4. & Valent. suo tertio tomo q. 1. puncto 1. Cumel. 1. p. q. 1. art. 3. in sua quæst. 2. ad 7. Fundamentum est, quia obiectum formale fidei est prima veritas, vt docens homines per Ecclesiam, Apostolos, Prophetas, & Scripturas, sed reuelationes priuatae non sunt hoc modo à prima veritate; ergo non continent sufficienter obiectum formale fidei. Maior probatur ex illo ad Ephes. 2. & 4. Superadificati supra fundamentum Apostolorum, & Prophetarum. Probatur etiam solet ex Aug. in Enchyrid. cap. 9. quatenus ibi dicit credenda esse, quę ad religionem pertinent: illa enim ad religionem pertinere censetur, quę ab Ecclesia communiter traduntur. Item probatur ex Magist. in 3. di. 23. vbi dicit fidem catholicam esse de his, quę ab omnibus fidelibus communiter creduntur: ergo illa sola pertinent ad fidem: ergo non illa, quę priuatim reuelantur. Maxime vero videtur fauere D. Th. 2. 2. q. 5. ar. 3. vbi dicit formale obiectum fidei esse primam veritatem, vt manifestatur in sacra Scriptura, & doctrina Ecclesie, & 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2. dicit, fidem nostram inniti reuelationi, Apostolis, & Prophetis factę: non autem reuelationi si qua fuit alijs Doctoribus facta: & similia habet q. 2. de Virtutib. art. 13. ad 6.

2. Secunda opinio est reuelationem diuinam obsecuram, & sufficienter propositam esse sufficientem rationem formalem obiecti fidei: siue sit publica, siue priuata, siue de communi doctrina, siue de re aliqua particulari. Ita tenet Vega lib. 9. in Trid. cap. ult. & Cordub. in Quæst. q. 17. lib. 1. & Catharin. Opuscul. de certitud. grat. & Arag. in dictis artic. 1. & 3. Bellar. lib. 3. de iustif. cap. 3. Salmer. lib. 1. in Epist. Pauli p. 3. disp. 2. & fauet D. Th. 2. 2. q. 1. art. 1. quatenus pro obiecto formali fidei sufficiente, seu adequato, ponit primam veritatem testificantem, nulla facta mentione Ecclesie, vel reuelationis, aut doctrinę publicę. Et hoc modo potest hæc opinio tribui fere antiquis Theologis: nam eodem modo assignant obiectum formale fidei, vt in superioribus visum est. Ex quibus etiam facile colligi potest fundamentum huius sententię scil. primam veritatem, & auctoritatem eius, esse vnicum motiuum credendi per fidem: hæc autem auctoritas Dei eiusdem rationis est, & æqualis siue de vna, siue de alia re loquatur, & siue per Ecclesiam, siue per quencunq. alium, & siue priuatim, siue publice: ergo hæc circumstantię non variant obiectum formale fidei: ergo in priuatis reuelationibus continetur sufficienter obiectum formale fidei. Atque hæc sententia mihi videtur omnino vera, quia tamen priores Auctores fortasse solum dissentiunt in modo loquendi, oportet ambiguitatem verborum tollere, & rem totam amplius explicare.

3. Aduertendum est ergo, solere Auctores distinctionem facere inter fidem Catholicam, & fidem Theologicam, seu infusam, quę distinctio, & ad obiectum, seu materiam fidei, & ad habitum, vel actum applicari potest: nam vtrunq. significari solet nomine fidei, vt in principio huius materię dixi. Et in vtraq. significatione illa duo membra se habent tanquam includens, & inclusum: nam fides Catholica ex parte materię dicitur doctrina illa, quę toti Ecclesie

1. opinio negans.

Fundam. ex Ephes. 2. & 4.

Ex Aug.

Ex Magist.

Ex D. Th.

1. opinio affirmans.

Eius fundam.

Notatio pro resolutione quid sint fides Cathol. & Theolog.